



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De nonnullis annotationibus in tractatum virtutum, & vitiorum Cap. 22.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

parte prima descriptas subiugare, tot virtutes parare, breui compendio valeant, in capite proximo exponemus.

De nonnullis annotationibus in tractatum virtutum, & vitiorum.

Caput. XXII.

Virtutes illæ, quæ ad patriam spectant, in tractatu de Oratione sedem propriam habent; ac ob id eò à nobis reiectæ sunt.

2. Vniuersè autem quo ad virtutes ac vitia notandum: quòd quemadmodum actus v. g. furti, si ad luxuriam quis fuerit, est actus luxuriæ: si ad fastum, est actus superbiæ: si ad ingluuiem, & crapulam, est actus gulæ, & ebrietatis: & quot fines illicitos sibi fur proponit, tot species peccatorum vnus actus ille sortitur: sic qui ministrat v. g. Missæ, qui est actus patriæ, si ministret ad obediendum superiori, est actus obedientiæ: si vt placeat Deo, est actus amoris Dei: si vt proficit quoque proximis, est actus charitatis: si vt per id sacrificium assequatur beatitudinè, est actus spei: si vt satisfaciatur Deo pro peccatis, est actus pœnitentiæ: & quot

quot fines honestos concipit, tot virtu-
tum species contrahit. Quod Eratres in
morem inducere conentur.

3 Res quippè maximi ponderis est actū
vnum, qui vnus tantum meriti ferax
est, sola directione septuplò, aut decu-
plò facundare.

4 Vnum præsertim ad calcem primæ
partis indicatum, obseruatione dignis-
simam erga virtutes omnes acquisitas,
vitia, passionessq; videtur: quod ad mo-
dum attinet: licet enim apposita media
vnicuique virtuti parandæ, vitio aduer-
sus, passionique vincendo præscripseri-
mus, non satis esse videtur, ad viâ ster-
nendam, & pro cuiusque genio metam
attingendam.

5 Alios quippè videmus passione vna,
quàm altera molestius infestari, & ex in-
genio suo, virtute vna, quàm altera ma-
gis indigere: quæ vniuersorum Patrum
consensio est: quam & experientia do-
cet. Nam quem iracundia vexat, luxu-
ria verò minimè, cōpertum est studiosi-
us in mansuetudinē, quàm in castitatem
incumbere debere: quem verò super-
bia

bia infestat, ira verò, aut luxuria parum, humilitatem potius quam vtramque virtutem illam colere oportebit: quam obrem ei qui morbo peculiari laborat, non ex æquo remedia virtutum omnium adhibenda sunt.

6 Immò reb⁹, & exiguo captu hominum collatis, postquam quis morbo vno, vel altero grauius se affici nouit, consultius videtur, vt vires propè omnes, ad vnum præcipuè studium virtutis vnus cogat, & vincat: exploratum est enim, vires modicas in studia multa diuisas, nihil egregium præstare: immò vix aliquid laude dignum allequi, more canum, qui lepores multos insequuntur & nullum capiunt.

7 Hoc autem non sic accipiendum est, vt qui passione vna torquetur, eam tantum virtutis vnus cultu domare, & vitium oppositum extirpare, ceterarumque passionum, vitiorum, ac virtutum curam deponere debeat: sed ita, vt illud peculiare propositum, quo magis eget, multo accuratius teneat: cetera verò, pro incidentibus occasionibus, quas & multiplices, & quotidianas Congregatio

gatio nostra parit, virtutibus præfertim in hebdomadas, menses, annosque singulos assignatis, exerceat.

8 Appositum exemplum videtur, Theologorum, vel Iurisprudentum, aut Medicorum institutum: Theologus quippe (vt ex hoc reliqua duo pateant) scientiam de Deo profitetur, & huic, si sapere velit, intentissimè vacat: verùm quæ inter legendum, vel scribendum, vel agendū occurrunt, ad Iurisprudentiam, & Medicinā spectātia, ea præfertim, quæ Theologiæ affinia, similia, vel connexa sunt, libenter ediscit: sic ergò, perspecta semel virtutis vnius necessitate, vitij, seu passionis infestatione, ita firmiter studium hoc arripiendum est, ac si ea foret professio peculiaris; cæteræ verò virtutes, cum omnes connexæ sint, libenter quidē, sed non ita intentè colendæ; cæteræ passionēs, & vitia vigilantè quidē, at nō ita neruosè oppugnāda.

9 Hanc verò esse viam breuiorem, & vtiliorem his rationibus ostendimus.

Nobiliorum Theologorum sententia cōcors est, virtutes omnes, præcipuè, cum statum specie sua perfectum attigerunt,

gerunt, esse connexas: quod est idē, ac si dicerent; fieri non posse, vt quis studio v. g. mansuetudinis deditus, eam virtutem perquirat, quin simul castus, fortis, magnanimus, humilis, sobrius, iustus, prudens, vitijs omnibus pulsus, & passionibus domitis euadat: quod ea ratione patet: quia mitis esse nequit nisi prudēs; at prudens esse non valet, nisi iustus, castus humilis, &c. prudentia quippē iniusta, intemperans, superba esse nō potest. Præscribit enim illa virtutibus media ad rationis normam exacta, virtutes verò ipsi finem præfigunt, ac ita, vitijs omnibus eliminatis, passionibusque subiugatis componitur vnum, integrūque ex omnium virtutum partibus ædificium.

10 Si ergò virtus vna pfectè acquiri nequit, nisi omnes quoque, cū vitiorū, & passionū victoria parētur; quantò & breuius, & efficacius, intēso vni⁹, quā remisso multarum studio res peragetur? si enim hominis vires (vt posuimus) exiles sūt, & nō modò multa simul arduai sed vix vnum perficere valent: quantò sit cōpendiosius, vnum moliri, & illo, velut

catenæ

catenæ orbiculo, cætera conferta trahere?

11 Perfectò, vires in vnũ conatũ cõtractæ validiùs agunt: & sic animus in humilitatẽ v.g. intensissimus, actus admodũ intesos, quos in plura diuisus nõ produceret, promit: Iã verò, si actus intensiores producit, eam virtutẽ breuiùs procul dubio cõparabit: & non cõparabit solã: ergò citiùs omnes cõparabit: sed omnes virtutes non acquiruntur, nisi vitia omnia, passionesquẽ vincantur: omnis ergò perfectio simul exquiretur.

12 Accedit ad hoc, quòd genio, ex necessitate cuiusq;, (vti diximus) perpẽsis, & collatis, electio prudẽtissima, & spiritali habitudini maxime consona est.

13 Hinc est, vt non exemplis tantũ externis, sed nostris quoque probatum sit, eos, qui sanctitate inter nos insigniter splẽduerunt, ad aliquod peculiare propositum vires omnes præcipuè cõtulisse: aut enim se humilitati, aut mansuetudini, aut obedientiæ, quasi professioni propriæ dediderunt: & eo studio cætera omnia comparârunt. Et quidem apud vniuersi Orbis nationes, arte vna insignem,

gnem, quàm multis mediocrem artificem esse, gloriosius est: præstat enim pictorem egregium, quàm simul citharedum, chirurgum, scriptorem non egregium esse, & hoc (vt patet) ubi per artem vnâ, aliæ simul non parantur. Quid si pararentur, quemadmodum per virtutem vnâ, cæteræ acquiruntur?

14 Atrem exemplo demonstramus, vt pateat, non modo virtutem vnâ postquam adoleuit, cæteras omnes secû cõsertas habere; sed in ipso quoque acquisitionis conatu, virtutes omnes pro incrementi modo connecti, & passiones quoq; omnes subiugari, vitiaq; depelli.

Exemplum de Mansuetudine.

15 **P**ostquam quis se multis casibus iracundum esse, ac proinde inter passiones omnes iræ mortificatione, ac inter virtutes omnes mansuetudine potissimû indigere perspexit, re cum Magistro communicata, certamen hoc inire seridò decernit.

16 Spe igitur erecta, & in clementissimo Deo collocata, legit caput de Mansuetudine, ac præscriptis actibus, ad iram domau-

domandam, & eam virtutem acquire-
dam, & creberrimè, & vigilantissimè se
vsurum constituit.

17. Frequentissimè orat, & verbera, ie-
iunia sponte, de Superioris venia susci-
pit; sacramq; communionem frequen-
tat: hoc quippe & alia similia, constan-
tissime præstiturus est, & firmissimo
proposito decreturus, mori se malle,
quàm à proposito desistere: hic enim (si
vspram) perseuerantia, & magnanimi-
tas commendantur.

18. Considerat deinde, vbi, quando, à
quibus, & ob quas causas ira excita-
tur, & oblatis occasionibus sic se ge-
rit.

Frater aliquis, qui minus debuit, vbi
non oportet, eo modo, quo non decet,
illum verbis exasperat: passio iræ, quasi
fera quædam indomita ex antro exili-
re, & malo malum repêdere gestit. Con-
festim nouus mansuetudinis cultor ra-
tionis actum, præceptum uè producit, a-
iens: Modò non est irascendum; ne fer-
ueas. Ecce actum prudentiæ proprium,
qui est præcipere, quo intellectus instru-
itur: ira tamen non deferuet, sed ad vin-
dictam

P

dictam

dictam impellit; sed Frater ille persistit
 aiens: Nefas est inferre vindictam; &
 propterea voluntas execratur vindi-
 ctam: ecce actus iustitiæ, (cui opponitur
 ultio, quæ auctoritate priuata sit) quo
 certè actu voluntas instruitur: At non
 quiescit ira, tristatur enim appetitus co-
 cupiscibilis, quòd malum hoc pati, ni-
 mis graue videatur, & optat ex vindicta
 delectationem percipere, tristitiamq;
 depellere: tunc frater ille rationis im-
 perio vtens, eligit mœstitiã ille potius
 pati, quàm acriter respondere: ecce ac-
 tum temperantiæ, quia concupiscibi-
 lis domatur; Vterius ira feruet, & fra-
 ter ille rationis dominio aduersus fer-
 uorem illum consistens, elicit actum
 constantiæ, quo eligit potius illi diffi-
 cultati obistere, quàm parum suaui-
 ter cum proximo agere: ecce annexum forti-
 tudini: quo appetitus irascibilis regitur.
 Denique ipsa mansuetudine, quæ in i-
 rascibili sedet, præualete ira supprimitur.
 Patet ergo, virtutes non partas mo-
 do, sed dum acquiruntur, connecti, op-
 posita vitia repelli, passionesq; domari.
 19 Sed adhuc liquidius ré aperiãmus;
 & vim,

& vim, efficaciorē demonstrēmus. Cum frater ille mansuetudini deditus, feruente circa cor sanguine, multis motibus internis agitur, & intellectu meditatur honestius esse silere, ac vultum hilarem exhibere: omnino patere videtur, ad eam quam eligit virtutem colendam; non solum acquiratarum, sed infusarum etiam actus concurrere: quod sic probamus.

20 Nouus frater dum disciplina claustrī eruditur, actus virtutum acquiratarum, ad infusarum, ac præcipuè Theologicarum finem ad primas quoque præceptiones referre discit, vt in cap. 5. de virtutibus moralibus in commune, sub exemplo temperantiæ, & sub capitis huius initium, exemplo actus vnius ad fines multos honestos relati, aperte monstrauimus. Cum ergo, ex occasione mansuetudinis, earum actus exercere queat, quare iacturam eam faciat? Quod verò possit, in hunc modum patet.

21 Illata iniuria est: fides docet, displicere Iesu Christo vltionem, ac ex eo lumine, dicit intellectus per fidem non licere vlcisci: spes ait ad immensi boni ac-

quisitionem, hac arduitate victa, se promoueri: charitas ait, amandum esse proximum, etiam cum malè agit; prudentia dicitur, ad parandam coronam occasionem hanc, esse medium opportunum: Iustitia monet, tribuendum cuique quod suum est, & quia dicit Deus: Mihi vindictam, & ego retribuam, non infert malum: modestia suadet, non esse admitteendam iræ deformitatem, quam exteriorius prodit: humilitas ait, animum infra alios demittendum, ac ex eo illis non resistendum: temperantia ait, nullam voluptatem illicitam, vnde cumque, ac proinde, neque ex ultione sumendam: magnanimitas ait, non solum in mediocri mansuetudinis occasione, sed in maximè ardua leniter agendum. Ecce quo pacto virtutum actus cohærent: nam ex omnibus prædictarum virtutum affectibus mansuetudo in euentu descripto, exerceri, contrarijsque vitijs, & passionibus obniti potest.

22 Nec refert, omnes actus recensitos, fortasse non esse, ex omni parte, vsque ad eò earum virtutum proprios: non enim ea quæ in scholis appellatur (formali-

malitas) adeò stricta requiritur: & esto, requiratur, multiplices alix occasiones proprios aliarum virtutum actus producant: quod hac ratione conuinci videtur.

23 Qui ad iram pronus, & mitescere cupit; nunc irritatur eibi causa, vbi exercet proprie abstinentiam, & sobrietatem: nunc despectus causa, vti humilitatem: nunc laborum pondere, vbi patiétiam: nunc aliquibus tétationum impudicarum incurfibus, vbi castitatem: modò proximorum fastidio, vbi charitatem: modò spiritualis viæ impedimentis, vbi constantiam: & sic de multis alijs, quæ recensere, nimis prolixum foret: ac demū tametsi exempla tam propria inuenire nequiremus; allata superius ratio à virtutum connexionē conuincit.

24 Fratres ergo nostri rem hanc mente pertractent, ac de Magistri consilio sic expediant, vt breuiore compendio, perfectionis Christianæ metam attingant.